ximi apud me compendij bonum capto; vt quæ à me prodit veneratio & obseruantia gratuita sit, & se contenta, vnius æquitatis & humanitatis respectu, seposita omni spe vtilitatis exhibeatur.

Ex quo Te primum nosse datum est, opportunus huiusmodi obsequiis sincerioribus visus es; & inde me Tibi longe arctius deinctum sensi, quam soleant aut possint mortalium plures magnatibus & principibus spe, & pollicitationibus ingentium præmiorum obnoxii esse & implicari. Et quamuis vna sortis mutatio, comperta indoles, inuicta tot malis animi constantia, hanc meam Tibi reuerentiam conciliasset, ab inuito etiam extorqueres, quod videram à plerisque, nedum inique recusari, sed etiam per summam crudelitatem in Te sæuiri. Sic enim interpretor illorum consilia, factaque, qui adeo à stupore aut commiseratione ereptæ nedum Tibi libertatis, sed etiam summæ potentiæ aberant; vt in illam ius omne & nomen etiam ipsum abrogent: quod mihi immanius visum est illorum crudelitate, qui in mortuorum manes & sepulchra desęuiunt, & grassantur. Quare cum plures populi Orientem quam Occidentem solem coluerint, cum Principes secunda fortuna florentes, mancipiorum & adulatorum turbæ obsideant, circa deiectos horrida sit solitudo, & eadem prorsus quæ mortuos sequitur & sepulchro illatos; singulari Dei beneficio summęque gloriæ imputo, quod Tibi nedum infœlicium Principum sortem experto, sed inde etiam à multis vexato, sicuti solent quassatâ naue naufragi, qui post maris sæuitiam grauio-